

Joannes Dantiscus orator, Petro To-
micio episcopo Posnaniensi.

omni. illis. Tom. VII. p. 105

16

Reverendissime in Christo pater et domi-
ne, domine gratiosissime. Humillimam com-
mendationem. Jam eram ascensurus currum,
allate sunt maiestatis regia, et dominatio-
nis vestre reverendissime literae, quibus le-
ctis tabellarium qui eas reddidit, ad No-
vam civitatem nobiscum recepimus, ubi
cum domino collega latius collocati su-
per omnibus respondebimus. De literis ad
ducem Ferrariae nihil mihi constabat, ne-
que illarum meminerat dominus colle-
ga, sed postea dum alias recollegerat,
illas etiam invenit. Mandato domina-
tionis vestre reverendissime libenter pa-
reo, ubi cum domino collega hactenus
non dissensi, neque dissentiam, imo ubi
opus fuerit, et ex re negotiorum com-
missorum, in omnibus obtemperabo. Con-
suetudo et mores illius adhuc mihi pla-
cent plurimum, neque mihi persuadere
possum, quod mihi displicere possit un-
quam. Commendo me, dispensationem me-
am, et hunc bonum senem charontem
nostrum, dominationi vestre reverendissi-
me suppliciter, ut domino meo gratio-
sissimo. Datum Vienna una hora ante

mei

meridie[m] penultima Martij, anno Domini
millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

1524
Martij

[Faint, mostly illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]